

4.

PRAELECTIONES

SEMESTRES,

IN

CAESAREA UNIVERSITATE
LITTERARIA,

QUAE DORPATI CONSTITUTA EST,

A D. XXV. IUL. ANNI cIoIcccxxi.

HABENDAE

INDICUNTUR

A

RECTORE ET SENATU ACADEMICO.

INEST

CAROLI MORGENSTERNII

SYMBOLARUM CRITICARUM IN QUAEDAM LOCA
PLATONIS ET HORATII

PARTIC. II.

DORPATI,

EX OFFICINA I. C. SCHÜNMANNI.

Allg. Repert. d. Lit. f. 1822. - besorgt von C. D. Beck. No. 13. S. 61.

Neu herausg. d. Werkausg. auf d. Univ. 25 Bände von 25. Jul. 1821-22
ist vorgef. : Car. Morgensternii Symbolarum criticarum in quaedam loca Platonis
et Horatii Partis. II. XX S. in Fol.

Zusatz wird nun, daß es rathsam ist, in manchen Stellen der Satiren u. Epigramme
(wie 2, 3, 17. 120. 326. 2, 7, 117.) , in ordentlichem Grade die Erwartung (prüfen und
auch der Platonischen Strafe zu setzen. Die besprochenen Stellen aber sind : I, 2, 21.
(j. Jahr nicht das festgesetzte Philosophenjahr sein können, da d. in Jacobus
hinsichtlich ist) 5, 32. (eine Münze des Fonteinus, nach Eckhel) 99
(in sine flamma ligni die Pointe), II, 4, 87. (zu reprehendi wird neglecta
u. zu illis gleichfalls neglectis vorgebracht) 8, 90. adusto pect. (meru-
larum, wegen zu großer Feile) I, 4, 100. Jucens (by Fea, gebildet). Die
auf Fea vor der 10ten Sat. vorkommt zwar nicht als unrichtig, aber doch über die
günstig, daß es besser sein würde, wie die Satire mit Nempe etc. anzunehmen, u.
Epigr. Frauen's Muthusding mitgetheilt, daß sie nach V. 50 f. ungenü-
galtig wäre, welche Platonischen Stellen S. VII-X. - II, 1, 59. (luserit
mit Fea, u. dafür in Lucian. epigr. T. X. p. 41. Bsp. statt εἰπέ δ' ἔδρας vor-
geschlagen εἰπέ ἰδίως οὐδενός - so wie ἰδίως unrichtig in Longin. de subl. die. p.
ἡδὴ ἀσφαλαῖον ist). II, 3, 27 f. (die Platonische Auffassung der Person aus der
Plat. Myth. de Satirae atque epistolae Horat. discrimine, widerlegt, daß
ganz Grundrath widerlegt; ähnliche Beispiele wie vorhergehender Auffassung der Person
aus der Platon. Myth. Platons Gorgias genommen, u. nach manchen andern Stellen
jenes Dialogs besprochen S. XIII-XV.) 123. (desit zu Juvencus desis widerlegt,
wie 283. ganz unrichtig : quiddam magnum) 254. (die Person Polemon
ganz unrichtig), 317 f. (Gedichte u. Festsung der unigen Versuche über die Stelle
num tantum sc. magna fuit, wird vorgebracht.) II, 5, 22. quam ipse fuit b. g.)
8.62. corruam; S. 62. Struam unrichtig) II, 6, 47 f. (vorgeschlag-
Invidiae, noster 2. spectaverit u. duserit in campo : Fortunae filius! o.)
II, 7, 113. (die unrichtig. Lant : fugitivus et erit widerlegt u. unrichtig). Wie
viel auch diese gründlichen Beiträge Kritik und Erklärung des H. gewonnen,
ist unbestreitbar.

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS

S. P. D.

CAROLUS MORGENSTERNIUS.

Quas nuper in nonnulla *Sermonum HORATII* loca a *FEA*, *HEINDORFIO* aliisque Criticis nondum satis expedita Vobiscum communicavi observationes, eas quum nec Vobis, Commilitones, nec viris quibusdam gravissimis, quorum auctoritatem spernere religio est, ingratas fuisse comperissem, placuit nunc aliud huiusmodi dare spicilegium.

Ac primum quidem hoc, quamvis levioris momenti, monere liceat, quibusdam Satirarum locis, ubi Horatius loquitur *παρὰ προσδοκίαν*, ad omnem eorum sensum et celerius et facilius percipiendum plane supervacaneum haud videri, si, ut illud indicetur recentiorum nonnullorum more, lineolae ponantur.

Ut II. 3, 17,

— — — — — *Dī te, Damasippe, Deaeque*
Verum ob consilium donent — tonsore!

Ibid. v. 120 in his v. III seq.

Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illud
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parvus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, ... nihil est! ... tercentum millibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet unde —
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus — paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

Ibid. v. 326.

O maior tandem parcas, — insane, minori!

II. 7, v. 117.

Aut insanit homo, aut — versus facit.

Hoc omne tamen quum ad interpretationem potius pertineat, quam ad crisin: pauca statim, quae a recentioribus Interpretibus omissa nuper animadverti, adiicere libet.

Serm. I. 2, 121 post doctam *FRID. IACOBSII* expositionem in *F. A. WOLFFII* sylloge bonae frugis plenissima, quae inscribitur *Litt. Analekten*, II. 6., mutanda erunt, quae dicta sunt ab Interpretibus recentioribus de epigrammate, quod *PHILODEMO* tribuunt, his verbis exeunte: τὴν δ' ἄρα Γάλλος ἔχου. Horatium id ante oculos habuisse ferunt; at spurium esse epigramma istud, cui fingendo causam dederit Flacci locus, rationibus et externis et internis luculenter demonstravit Vir sollicitissimus.

I. 5, 32. 33.

— — — *Capitoque simul Fonteius, ad unguem*

Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.

Ad hunc virum pertinere numum quendam aeneum censet *ECKHELIUS Doctr. Num. vet. Part. II. Vol. V. p. 220*, haec addens: „Neque vero Fonteius hic, quod ex Horatio constabat, solum fuit M. Antonii amicus, sed etiam ad res gerendas adhibitum hic numus docet, qui eum pro praetore administrasse provinciam, incertum quam, memorat. Ad suffectum etiam consulatum promotus V. C. 721. Homo, ut videtur, lautus, benignus, quemque omnis color et status et res decuerit. Horatio comitibusque Brundisium profectis culinam praebuit, habitus etiam idoneus ad erotica, cui ab Antonio haec quoque provincia demandata, ut Cleopatram ad se in Syriam arcesseret (Plut. in Anton. p. 932).“ Conf. etiam Eckhel. Vol. VI. p. 55.

Eodem Sermone v. 97--101.

— — — — — *Dein Gnatia Lymphis*

Iratis exstructa dedit risusque iocosque,

Dum flamma sine tura liquescere limine sacro

Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,

Non ego.

Interpretes laudant *PLIN. Hist. Nat. II. 111*, et simul monent, etiam *WIELANDUS* et *HEINDORFIUS*, phaenomeni hodieque pluribus Italiae regionibus obvii ignorationem in causa fuisse, quod Horatius impio risui indulserit more Epicureorum. At eiusmodi phaenomenon, hodie certe quibusvis fere illarum Italiae regionum incolis notissimum (Vid. laudatos de quodam eiusmodi igni scriptores in meo *Itinere Italico*, T. I. p. 720) ignotum esse vix potuit Horatio. Hoc, puto, risit, quod, *sine flamma tura liquescere*, et quod, *si*

quid miri faciat Natura, id fieri dicerent superstitiosi limine sacro, eo potissimum a Diis ipsis ex alto caeli demissum tecto.

II. 4, 81--87.

*Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumptus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes
Oblitum, quanto curam sumptumque minorem.
Haec habeant, tanto reprimi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?*

In hisce versuum 86, 87 sensus ambiguus quidem non est, expositus iam a Scholiaste CRUQUII; desidero tamen grammaticam apud Interpretes explicationem. Quae mihi haec esse videtur, ut ex versus 82 vocabulo *neglectis* ad verba: *quanto curam sumptumque minorem Haec* (sc. munda palma et lota toralia) *habeant, tanto iustius reprehendi* intelligatur *neglecta* (i. e. si neglecta planeque omissa fuerint), et ad verbum *illis* itidem intelligatur *neglectis*.

II. 8, 90, 91.

Tum pectore adusto Vidimus et merulas poni.

Cur quaeso *adusto pectore*? Ingens certe vitium hoc fuisse non dubito. Nimirum per nimiam domini coquorumque festinationem merularum pectus adustum. Nasidienus enim, qui soleas poposcisset, mutatae frontis rediit mox, secutis, qui novum ferculum ferrent, pueris, *arte scilicet emendaturus fortunam*.

Sed missa velitatione exegetica capiamus, quae minitabamur, arma critica, victas tamen, si meliora docebimur, manus illico daturi.

Serm. I. 4, v. 100 pro lect. vulg. *Hic nigrae succus loliginis FEA* e Codice quem nota Vr. B. insignivit, edidit: *Hic nigrae fucus loliginis*. Non temere, praesertim quum in plurimis mss. ab eo repertum sit *sucus*, ex quo orta videatur lectio vulgata.

Satirae X. in multis codd. praemitti nostis octo versus, primum a LANDINO in editione Florent. 1482 e textu in annotationem relegatos, a GESNERO, nuper etiam a FEA et ab HEINDORFIO ex antiquioribus editionibus revocatos. Quos genuinos esse IAC. FRID. HEUSINGER evincere conatus est singulari libello, quem non vidi. Omnino sunt valde antiqui, quidquid dicat LAMBINUS, ut GER. IO. VOSSII (*de Poetis Lat.* p. 9) verba faciam mea. Atque adeo aevi esse videntur Horatiani, neque Horatio ipso indigni, ut HEINDORFIUS iam pluribus docte ostendit. Quid? quod Horatii ipsius esse haud temere dicamus, ab eo primum initio Satirae decimae positos, unde Poeta ipse, petulantiae suae pertaesus, secundis curis eos moverit; quae causa potissimum fuit, opinor, quod in permultis codicibus reperiuntur illi

quidem, sed scholiis nullis explanati, quae a verbis *Nempe incomposito* etc. incipere notum est. *HEINDORFIUS* quidem, licet octo illos versus putet Horatianos, negat eos concinere cum iisdem illis: *Nempe incomposito* etc., nec corpus integrum cum iis efficere; aptum sententiarum nexum plane desiderat; interrogat etiam, quorsum pertineat tale de aliis hominibus exordium satiricum, ubi Horatio propositum esset, serio respondere iis, qui sententiam de Lucilio Satira quarta latam aegre tulissent (p. 204. „Wozu dieser satirische Eingang auf andere Personen, wo die Absicht des Horaz war, sich mit Ernst zu rechtfertigen“ etc.). Quod a sagaci interprete interrogari miror, quam simili *CRUQUIUM* etiam ratione abusum animadverti. Nam ad confirmandum Horatii de Lucilio mendoso iudicium erat novum omnino nec levissimum argumentum, quod peteretur ab ipso Lucilii defensore eodemque emendatore, Catone Valerio, grammatico doctissimo. Neque omnia assentior Heindorfio, in exponendo ordine male procedente haec dicenti: „Doch um wieder auf jenes zurück zu kommen (worauf?), das habe ich doch wohl gesagt, daß Lucilius Verse“ etc. Nam quaerenti, quo referenda sint illa: *Ut redeam illuc*, facilis responsio est, referri ad locum de Lucilio mendoso, qui nunc iterum tractetur ratione habita eorum quae in vetere poeta fautoribus eius indignantibus reprehensa essent in Satira quarta. Initium igitur Satirae decimae fuerint olim omnino illa, quae ex *HEINDORFII* afferre placet recognitione:

*Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Quo melior vir adest; longe subtilior illo,
Qui multum puer est loris et funibus udis
Exoratus, ut esset, opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc,
Nempe incomposito etc.*

His tamen minime negamus, quod *LAMBINUS*, *MURETUS*, *CRUQUIUS*, *TORRENTIUS*, *BENTLEIUS*, cum tot aliis subtilis iudicii viris, qui octo illos versus plane omittendos censerent, persensisse videntur, omissis Satirae exordium, abruptius illud, quod quaedam relinquat lectori subintelligenda, multo et fortius esse et tersius; nec male putamus Horatium, qui ipse deterere *sibi multa* soleret, et recidere *omne quod ultra perfectum traheretur*, illos, si primum posuerit, secundis curis, quamvis inviti recederent, loco movisse, quia Sermoni maximam partem serio et moderato adderent prooemium incipientis insolentius petulantiusque quam pergentis, idque iunctura *Ut redeam illuc* adhibita, quae laxius et negligentius omnino, quam in operis principio vel satiricum scriptorem deceat,

caput cum reliquo copulat corpore: nam in membris quidem orationis iungendis ipse recte usus est similibus formulis, ut Serm. I. 1, 108. *Illuc, unde abii, redeo.* I. 6, 45. *Nunc ad me redeo.* I. 3, 38. *Illuc praevertamur.* Cautius igitur egisse arbitror editores, *GESNERUM, FEAM, HEINDORFIUM*, qui octo illos versus Satirae decimae praeponerent quidem, at typorum forma distinctos atque a reliquo sermonis corpore seiunctos, quam Virum praestantissimum, *Io. HENR. VOSSIUM*, qui nuperrime, in altera editione versionis operum Horatii, octo illos reliquis sine ulla distinctione praemisit, quasi, ut Horatius auctor agnoscat, res nihil amplius habeat dubitationis, quin ab ipso sint retenti, eodemque plane quo reliqui iure locum occupent suum.

Haec typis descripta erant, quum specimen typographicum corrigenti forte superveniret *Io. VAL. FRANCKIUS*, suamque de decem illis versibus Horatio vindicandis et transponendis sententiam, iam pluribus abhinc annis in margine sibi notatam, mecum communicaret, quos inserendos existimat post v. 50, 51, ita quidem:

At dixi, fluere hunc lutulentum, saepe ferentem

Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,

Defensore tuo, pervincam,

et quae sequuntur usque ad finem versuum illorum, ubi sententiae sic se excipiunt:

Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc,

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?

Haec Viri clarissimi ratio quum subtiliter excogitata acriterque defensa mihi videretur, committere nolui, ut eam causasque eius vos ignoraretis, Commilitones. Quapropter et a collega petii, et ab amico facile impetravi, ut ipsius verbis rem proponendi iam copia fieret. „Catonem,“ inquit, „Lucilii defensorem, negligentiae Lucilianae testem excitat, non modo ut mendosum hunc esse demonstret, sed ut invidiae crimen a se avertat, qui fluere dixerit lutulentum. Unde primum intelligitur, ferri non posse *Io. HENR. VOSSII* rationem; initio Satirae relinquendis hos versus ut Horatianos, ubi nihil dictum erat de hoc, quod Horatio exprobratum esset, iudicio, praesertim quum tanto durior sit transitus: *Ut redeam illuc, nempe dixi*, quod *dixi* non potest referri ad verba: *pervincam, quam sis mendosus*, sed ita potius utcumque explicanda erit sententia: *Ut ad Lucilium redeam, dixi sane alias, incomposito pede currere huius versus.* Praetereo enim gravius argumentum, quod repeti potest e proximis verbis: *Quis tam Lucili fautor inepte est, Ut non hoc fateatur?* Deinde vel eandem ob causam principio Satirae collocari versus illi ne a felici quidem potuerunt Horatii imitatore; de infelici autem nemo facile amplius cogitabit, quum vix adhuc reperiatur, qui Horatio dignissimos esse neget.

Denique indidem patet, supplendos esse versus eo loco, ubi occurrere debeat Poeta maligni in Lucilium animi accusationi. Atqui talem locum, ubi commode adiici possint, nullum equidem toto in carmine reperio nisi hunc ipsum, ubi mihi excidisse videntur. Quid? quod ibi lacunae, si non certum vestigium, at magna suspicio est. Nam quum certissimis argumentis demonstrarit *WOLFIUS*, vir summus, in *Anal.* Vol. I. p. 185 seqq., *plura* illa, quae Lucilius ferre dicatur, *tollenda relinquendis*, intelligi debere non *servanda*, sed *delenda*: hoc tamen fatendum erit, si potuerit, non potuisse saltem sine aliqua offensione Horatium hinc statim transire ad *magnum Homerum*, profecto non *plura* ferentem tollenda, ne ex eorum quidem iudicio, qui antiquissimum poetam ad suae aetatis normam exigent; eundem vero, interiecta, quam nos supplemus, sententia, sine ulla offensione addere potuisse, minus quidem, sed reprehendi tamen ipsum Homerum ab iisdem hominibus, qui a se vituperari Lucilium, aegre ferrent. *Age* in talibus, quale est nostrum *age pervincam*, quum sit aut veniam petentis dicendi, aut certe alterius aliorumve attentionem excitantis: non magis offendere potest in hac iunctura apostrophe ad Lucilium, quam quod Aeneam alloquitur Anchises apud *VIRG. Aen.* VI, 756. seqq.:

Nunc age — — —

Expeditam dictis, et te tua fata docebo.

Sic etiam Graeci, ut *HOMERUS Il.* I, 60. seqq.:

*ἀλλ' ἄγε, ἐγών, ὅς σεῖο γεραίτερος εὐχομαι εἶναι,
ἐξείπω, καὶ πάντα δίζομαι,*

Idem *Od.* I, 37. seq.:

εἰ δ' ἄγε τοι καὶ νόστον ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίσπω,

ubi etiam *εἰ δ' ἄγε*, *age sis*, non dissimile est nostro *age, quaeso*. Nam additum *quaeso* sic accipio, ut sit: *Age, quaeso, Lucili, pervincam*, idem quod, *age* permittas, *quaeso*, ut *pervincam*, ut *OVIDIUS Trist.* I, 11, 43.

Vincat hiems hominem: sed eodem tempore, quaeso,

Ipse modum statuam carminis, illa sui.

id est vincat, sed concedat, quaeso, eodem tempore ut modum statuamus uterque, ego et ipsa, carminum nostrorum. Qui locus tanto similior est huic Horatiano, quod nec *modum statuamus* dixit Ovidius, nec *modum statuat illa, ego mei*, sed non nisi ad se ipsum, grammaticam si spectes rationem, retulit verbum, mox alia flexione assumendum ad verba *illa sui*. At inde defendi nequit *age, quaeso*, sequente futuro indicativi usurpatum. Fateor sane: sed quidni praesens subiunctivi esse potest *pervincam*? quem modum quum Graeca illa exempla exhibent, tum formula *age* vel *age sis* videamus, vel ex *CICERONE* in *Orat. pro Rosc. Amer.* c. 36 extr. et *Tusc.* II, 18. init. notissima. Sic inepte dixeris: *age, quaeso, demonstrabo*, recte: *age, quaeso, demonstrarem tibi*, hoc est liceat demonstrare. Iam vero

Cato in emendando Lucilio leniter versabatur; quod ne quis sibi, severius de Lucilio iudicanti, obiiciat, ita cavet Horatius, agnoscens et ipse bona Lucilii, gravemque reprehensionem suam modeste ac leniter proferens, ut laudet hoc nomine mores Catonis, eiusque proferendi, non animo concipiendi, iudicii, orationis igitur, subtilitati, quae contraria est gravitati et acrimoniae, et subtilis etiam a Cicerone venustas appellatur, coniunctae cum lenitate illa, non ingenii tarditatem opponat, sed ferociam ac petulantiam adversarii cuiusdam sui, pueriliter *loris et funibus udis* antiquorum poetarum defensionem instituentis. Apparet enim, revocandam esse lectionem: *Est quo vir melior*, quum de Catonis lenitate agatur in emendando, non in defendendo Lucilio, ut male putavit librarius, qui scripsit: *Quo melior vir adest*, metri causa; ni fallor, quum scriptum reperisset: *Quo melior vir est*. Nec minus necessaria est *GLAREANI* correctio *exornatus*, id est instructus, ut recte accepit *GESNERUS*, qui omnium optime hos versus intellexit, hoc uno falsus, quod *subtiliorem* maluit intelligere puerum istum, grammaticorum equitum doctissimum, quam Catonem, recte nuper a *Vossio* intellectum. Deinde verba: *Ut redeam illuc*, reditum significant non ad Catonem, reprehensionis illius socium, sed ad summam rei, id est ad ipsam Lucilii reprehensionem, quam iniuria sibi vitio verti, nunc alio docet argumento. Neque igitur verendum erat, ne quis forte denuo ad Lucilium referret sequentia: *tu nihil reprendis?* Quanquam ad defendendum hunc transitum ne opus quidem esse videbitur hac ratione, si contuleris *TER. Andr. V, 2, 25* seqq. *Bentl.*, *PROPERT. I, 9 (10). 25* usque ad finem, et similia. Ceterum, quae hinc sequuntur, argumenta, ad v. usque 55. et proxima sententia: *Quid vetat — — propriis*, et ipsa in removenda potius ab Horatio malignitatis et arrogantiae suspicione, quam in ipsis Lucilii vitiis, versantur. Tum demum, a v. inde 64. ipsum rursus proponitur, ad quod antecedentibus Poeta viam sibi munierat, severius illud de Lucilio iudicium, ac maioris diligentiae Horatianae antithesis.⁶ Habetis novum in ^{octo} ~~decem~~ illos versus denuo recognitos commentarium ex Franckii epistola mihi inscripta excerptum, quem non paucis Horatii lectoribus confido fore acceptum.

Serm. II. 1. v. 59 pro vulg. *Dives, inops, Romae, seu Fors ita iusserit, exsul*, praefendum videtur, quod edidit *FEA: D., i., R., seu Fors ita luserit, exsul*. Qui id in margine cod. invenit, in pluribus autem codd. vitiosum *luserit*, unde fluxisse veri simile est vulg. *iusserit*. *Serm. II. 8, 61-63. Heu Fortuna! quis est crudelior in nos Te Deus! ut semper gaudes illudere rebus Humanis!* *Carm. II. 1, 3. Ludumque Fortunae.* *III. 29, 49. 50. Fortuna — Ludum insolentem ludere pertinax.*

Eadem Satira v. 85 in his: *si quis Opprobriis dignum laceraverit, inaeget ipse?* *FEA* male, opinor, revocavit lectionem *latraverit*, gravi de causa eaque accurate exposita repudiatam *BENTLEIO*, quem recte secuti

sunt cum aliis *HABERFELDUS* et *HEINDORFIUS*. Iis quae vere dixit de verbo *laceraverit BENTLEIUS*, mihi addere liceat, oppositionem eleganter adhibitam inesse illi verbo et voci *integer*, atque ita ut in utroque vocabulo praeter derivatam significationem, moralem, in mentem recurrat prior, physica. Nam ambiguitate vocabulorum ludere scitis in omni hoc Sermone et Horatium ipsum et Trebatium Horatianum. Vix operae pretium est monere, versu antecedente (84) *FEAM* non bene revocasse lectionem pluribus quidem mss. firmatam *Laudatur Caesare*, quum illa quae inde a *BENTLEIO* fere probantur, *laudatus Caesare*, Poetae ore prolata, ipsius, quod in toto sermone sequitur, proposito multo sint aptiora. Nam quod Horatius ipse et affirmare potest et affirmat, Caesari Augusto laudari Sermones suos satiricos, eo vel maxime conturbari et ad silentium adigi debebant adversarii. Alia plura ad defendendam lectionem *laudatus* bene monuerunt *BENTLEIUS*, *GESNERUS*, *HABERFELDUS*.

II. 2, 129. *Nam propriae telluris herum natura neque illum; nec me, nec quemquam statuit.* In his pro lectione vulgata *propriae FEA* edidit e pluribus mss. et editt. Ven. 1495, 1509 *proprie*. Cui in eo quidem non plane assentior, quod dicit: „*Propria* dici nequit *tellus*, dum huiusmodi proprietates denegatur.“ Quidni enim Horatius scribere potuerit: *propriae telluris herum natura nec me nec quemquam statuit* hoc sensu: telluris, quae propria sit, herum natura statuit neminem? Tamen paullo accuratius dictum fuerit h. l. *proprie*, quod sit privatim, peculiariter, cui oppositum publice, promiscue, communiter, cuius potestatis satis notae exempla attulit *FEA*. Librariorum autem diphthongos temere vel omittentium vel intrudentium quum nulla fere sit auctoritas in re eiusmodi, externae igitur rationes in alterutra lectione paris momenti esse videantur: in poeta verborum diligentissimo lectionem *proprie* utique praeferendam duco. In *Anthologiae* (*Anal. Brunck. T. III. p. 238, no. CDX; ed. IACOBS. T. II. 1814. p. 27*) Epigrammate incerti auctoris, quod *LUCIANO* tribuitur in *Anthol. Planud. p. 110 Steph.* (conf. *IACOBS. Animadverss. in Epigr. Anthol. Gr. Vol. III. P. II. p. 105*) ac legitur in Operum editione Bipont. Vol. X. p. 41, eandem fere sententiam exprimi plures observarunt:

Ἀγροῖς Ἀχαιμενίδου γενόμενν ποτέ, ὣν δὲ Μενίππου
καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν μέ ποτ' ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
οἶεται· εἰμὶ δ' ὅλως οὐδενός, ἀλλὰ Τύχης.

Iam quum nonnulli Anthologiae Graecae poetae passim, nisi ante oculos habuerunt Horatium, ex eodem quo Horatius fonte Graeco hausisse videantur, in mentem mihi venit, annon sic potius scripserit ille:

οἶεται· εἰμ' ἰδίως οὐδενός, ἀλλὰ Τύχης.

Adverbium *ἰδίως* in Lexicis quidem nostris desideratur; caruisse vero

Ἐπιγρ. Phoeniss. 5.58: Ὅντοι τὰ χεῖματ' ἴδια κέκενηται βροτοί,
τὰ τῶν θεῶν δ' ἔχοντες ἐπιμελούμεθα·
Ὅταν δὲ χεῖζαί, αὐτ' ἀφαιροῦνται πάλιν.

Graecam linguam hac forma, quam praeter frequens illud *ιδίως* usus requirit et analogiae lex postulat, quis credat? Neque caruit. Vox *ιδίως* occurrit apud *SUIDAM* T. II. p. 96 ed. *KÜSTER.*, etiam *Schol. ad EURIP. Phoeniss.* p. 733 ed. *VALCKENAR.*, et *Schol. in ARISTOPH. Plut.*, ubi conf. *TIB. HEMSTERHUSIUM* p. 36. Restituenda videtur *LONGINO* περὶ ὕψ. XV, 1 in his: "Ὀγκου, καὶ μεγαληγορίας, καὶ ἀγῶνος ἐπὶ τούτοις, ᾧ νεανία, καὶ αἱ Φαντασῖαι παρασκευαστικώταται· οὕτω γοῦν εἰδωλοποιίας αὐταῖς ἔνιοι λέγουσι καλεῖται μὲν γὰρ κοινῶς Φαντασία πᾶν ἐννήμα λ'γου γεννητικόν, ὅπως οὖν παριστάμενον ἤδη δ' ἐπὶ τούτων κεκράτηκε τὸ νόμα, ἔταν ἂν λέγῃς, ὑπ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ πάθους βλέπειν δοκῆς, καὶ ὑπ' ὄψιν τιθῆς τοῖς ἀκούουσιν. Ubi *MANUTIUS* *ιδίως* δὲ ἐπὶ τ. κ. λ. *MORUS* quidem p. 95 *ιδίως*, inquit, post Manutium contra codd. et ed. pr. male receptum est. At *TOURPIUS* p. 313 Manutii illud *ιδίως* recte negat esse spernendum, hoc addens: „Suidas: Λεξιόν. Κοινῶς τὸ ἄνθος, καὶ ἰδίως τὸ ἄνθος τοῦ ναρκίσσου καλοῦσιν οἱ Ἀττικοί.“

Haec scripseram, quum ex Bibliotheca publica sero affertur Longini editio novissima, ubi *WEISKIUM* animadverto *ιδίως* pro altero ἤδη in ordinem recepisse, versionem autem Latinam ex emendatione mutare esse oblitum. Qui, cur lectio ed. 1. ἤδη repudianda sit, bene iam exposuit in Notis p. 319, quibus etiam admonemur, vocem *ιδίως* legi apud *AMMONIUM* v. βωμῖς in hisce: Ἰδίως δὲ Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς . . . βωμούς θεῶν Φησι, ἐσχάρας δ' ἡρώων.

III. 3, v. 27—30 in omnibus, quotquot personarum habent distinctionem, editionibus, postquam Horatius de perdita emacitate narranti sic respondisset: *Novi: Et miror morbi purgatum te illius*, Damasippus haec profert:

— — — — — *Atqui*

Emovit veterem mire novus; ut solet, in cor

Traiecto lateris miseri capitisve dolore:

Ut lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum urguet.

Qua de re in libello *de Satirae atque Epistolae Horatianae discrimine*, a. 1801 Lipsiae et Gedani edito, scripsi p. 57, 58 quae repetere placet, quum illius libelli exemplaria divulgata non sint plura quam CL:

„Quid? num homini insano candor ille convenit, ut ipse illico promat, se alio mentis morbo laborare? Miranti purgatum vitii cuiusdam ingenue respondere, se vero pro illo vitio iam alio premi: utrum id inepte superbientem philosophorum aemulatorem sapit, an potius virum modestia et candore vere sapientem? Et quinam tandem est morbus iste novus, quo Damasippus se sentiat calere? Stoicae philosophiae impetus certe ipse non pro morbi, sed pro sanitatis indicio habet, quae sibi contigerit, ex quo Stertinius solatus iussit sapientem pascere barbam. Nec tam humiliter sentit de se, qui eundem Stertinium, sapientum octavum (v. 296) sibi, amico, dixisse narrat: *Cave faxis te quicquam indignum!* Ne multa: falsam dico vulgarem

personarum distinctionem Verba *Atqui — urguet* non sunt Damasippi: sunt ipsius Horatii non minus quam illa: *Dum ne quid simile huic, esto ut libet*. Iam egregie concinunt omnia. Poeta, Damasippum emacitatis morbo purgatum miratus, in homine, qui modo in se irruisset contumelioseque esset invectus (*Sic raro scribis* etc. *Quid fiet?* etc. *Sobrius ergo* etc. *Invidiam placare paras, virtute relicta?* *Contemnere miser* etc.) facile senserat novum furorem; quod verbis *Atqui emovit* etc. stulto homuncioni, qui Satiricum ipsum audent castigando interpellare, significat, vultu arguto adiciens non sine peculiari ad Damasippum respectu illa, quae huius ore prolata nil nisi exemplum continerent qualecunque: *ut lethargicus hic, cum fit pugil et medicum urguet*. *Dum ne quid simile huic* etc. Vix levius illud monere attinet, nunc etiam propius ad Horatium spectare, quibus v. 297 Damasippus orationem concludit: *ne compellarer inultus*. Quae ex vulgari personarum distributione non nisi universe dicta poterant sumi, quum ex illa Damasippum Horatius ne compellasset quidem.“

Quod abhinc annos viginti proposui, ne nunc quidem spernendum puto. Quanquam, qui id examini subiiceret, inveni neminem, praeter HEINDORFIUM, qui p. 287 opinione mea paucis verbis ita memorata, ut rationes, quibus firmatur, taceat, tum fore dicit, ut langueat oratio, simulque interrogat, unde tum illa v. 31: *Dum ne quid simile huic, esto ut libet*. („Wie schleppt dann die Rede, und woher dann der Zusatz v. 31 *dum — libet?*“) At orationem tum languere equidem pernego, atque illa etiam tum dico addita aptissime. Ad verba a se prolata: *Ut lethargicus hic* etc. Heindorfius quidem sumit, Damasippum uti gestu motuque minaci; atque inde explicanda esse Horatii verba: *Dum ne quid simile huic* sc. *facias* vel *fiat*. Schol. Porph. interpretari: *dum ne tu tundere me incipias*. Videtis, hypothesi nonnihil crassiore et PORPHYRIONIS et HAERI ELDI HEINDORFIIQUE nobis opus non esse; ac nihilo minus Horatium illud *Dum — libet* verissime adiecisse, quum vel ex opprobriis istis, quae Damasippus in ipsum fudisset, emicuisset novus hominis furor. Iis autem, quae Heindorfius refutationi meae opinionis praemisit ad probandam sententiam vulgo receptam, locum *Atqui — urguet* esse Damasippi, haec equidem opposuerim. Sumit verba hoc sensu: ego adhuc aegroto, sed morbo in aliam corporis partem traiecto; ego, quia nondum sum sapiens omnibus numeris absolutus, qualem requirit Stoica disciplina, stultitia adhuc, atque igitur insania laboro. Quibus quam optime cohaerere contendit illa v. 31, 32: *O bone, ne te frustrere, insanis et tu* etc. At Stoici, licet et sapientis et stulti speciem cogitatione informarent, qualis nunquam fuisset, iidem, hac in re non satis sibi constantes, formam illam animo conceptam et sapientis et stulti ad vitam communem ita transferebant, ut duo hominum genera statuerent, alterum bonorum, pravorum alterum: medium scilicet non esse. STOB. Eclogg.

phys. et eth. P. II. p. 198 ed. HEEREN: Ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ Στωϊκοῖς Φιλοσόφοις δύο γένη τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν τῶν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν Φαύλων. Negabant etiam, discendi vel audiendi cupidum esse τὸν Φαῦλον; eumque nec ad virtutem incitari nec incitare quemquam; et rel. Ibid. p. 212. Μηδὲ Φιλόλογον εἶναι τὸν Φαῦλον μηδὲ Φιλήκοον, παρὰ τὸ μηδ' ἀρχὴν παρεσκευάσθαι πρὸς τὴν ὀρθῶν λόγων παραδοχὴν, διὰ τὴν ἀπήκουσαν ἐκ τῆς διαστροφῆς ἀφροσύνην, παρὰ τὸ μήτε προτετραφῆσαι τινὰ τῶν Φαύλων μήτε προτρέπειν πρὸς ἀρετὴν τὸν γὰρ προτετραμμένον ἢ προτρεπόμενον ἑτέρους ἔτοιμον εἶναι δεῖ πρὸς τὸ φιλοσοφεῖν, τὸν δὲ ἔτοιμον ἀνεμποδίστως ἔχειν, μηδένα δὲ τῶν ἀφρόνων εἶναι τοιοῦτον. κ. τ. λ. Haec qui reputaverit: num ei potest esse ambiguum, utri generi se ipse annumeraret Stoicus noster, a Stertino ipso iussus *sapientem pascere barbam*, armis ab hoc sapientum octavo acceptis ferox? Cuius verba: *O bone — insanis et tu etc.*, si ex nostra sententia omnibus illis Horatii verbis *Atqui — urguet. Dum — libet.*, quibus Damasippum magis irritatum fuisse par est quam simplici: *Dum ne quid simile huic, esto ut libet*, opposita sumantur, melius etiam quam ex vulgari, quam Heindorfius defendit, ratione respondere patet antecedentibus.

Quoties feliciter mutata personarum in Dialogis distinctione pristinus scriptori nitor restitutus sit, eius rei quum alia exempla in promptu sunt, tum illud in *PLATONIS Gorgia* p. 504 B. Steph., ubi in verbis: *Τί οὖν ἄνομά ἐστιν ἐν τῷ σώματι τῷ ἐκ τῆς τάξεώς τε καὶ τοῦ κόσμου γιγνομένῳ; Ὑγίαιαν καὶ ἰσχὺν ἴσως λέγεις.* Ἐγώ γε. illa: *Ὑγίαιαν καὶ ἰσχὺν ἴσως λέγεις* Socrati vulgo, etiam ab editore Anglo, *ROUTHIO*, tributa, sunt Callicli tribuenda, Ἐγώ γε autem Callicli datum Socrati dandum. Sed recte iam distinctae personae in *HEINDORFII* editione c. 128, praeuntibus *FICINO* et *CORNARIO*, secutis *BEKKERO* et *ASTIO*. Contra in eadem editione c. 110, p. 495. D. E. Steph., audiendus erat Scholiastes, verba *Σωκράτης δὲ γε ἡμῖν ὁ Ἄλωπευῆθεν οὐχ ἰμολογεῖ ταῦτα ἢ ὁμολογεῖ;* Callicli assignans, ratione haud perversa, licet cum *HEINDORFIO* eam reiecerit *BEKKERUS*. Verum cum causis suis vidit *SCHLEIERMACHER*. in annot. versionis p. 482, etsi in versione praeferre ausus non est, quod recte iam praetulit in editione *ASTIUS*. Erratum typographi quidem in *HEINDORFII* editione c. 68 vos ipsi statim corrigetis, ubi male permutata sunt Poli et Socratis nomina in illis: *Ἐλεγον. et Οὐκοῦν εἶπερ αἰσχίον κ. τ. λ.* Licet vero nonnunquam mutata personarum distinctione omnis locorum quorundam difficultas tollatur, cavebitis tamen, ne hoc remedio intempestive unquam abutamini. Sic v. c. vehementer erraret, qui id his duobus *Gorgiae* locis adhibere vellet. Pag. 473. A. B. Steph., c. 63. Heind., Socrates Polo exponit, quibusnam rebus inter se dissentiant. Dixerat Socrates, iniuriam facere peius esse quam accipere, Polus contra, iniuriam accipere. Pergit Socrates: *καὶ τοὺς ἀδικούντας ἀθλίους ἔφην εἶναι ἐγὼ καὶ ἐξηλέγηθην ὑπὸ σοῦ;* Confirmat Polus hisce: *Ναὶ μὰ Δία.* Iam Socrates: *Ὡς σύ γε οἶε, ὦ Πῶλε;*

Ad quae Polus: Ἀληθῆ γε οἰόμενος ἴσως. Hoc ἴσως si quem moretur, a Polo, homine confidentissimo, haud sane expectatum, fortasse aut cum HEINDORFIO cogitet, id facile nasci potuisse ex sequente Socratis nomine, aut sibi persuadeat, ἴσως ad Socratis orationem trahendum esse, ut is Sophistae affirmationem, se vera arbitrari, excipiat formula ironica ἴσως, quasi dicat: *videbimus*. Neutro tamen opus esse cum HEINDORFIO scit, quem non fugit, verbo ἴσως persaepe in re certa usurpari Attica quadam urbanitate, quod exemplis docuerunt quum alii, tum *LOCCELLA* adnotat. in *XENOPH. EPHEM.* p. 188. 224. 233. 270, et nuper *SCHAEFER.* ad *LONGI Pastoral.* p. 357. Quanquam hoc quidem loco ἴσως a Polo adhibitum arbitror non tam urbane, quam ironice, cum insolenti hominis confidentia prolatum, ut Germanice h. l. verterim: „Wahres meinend, sollt' ich denken.“ Exemplum ironiae Polo adamatae habes deinceps p. 473. B. c. 64. init. in illis: Ἀλλ' ἔτι τοῦτ' ἐκείνου χαλεπώτερόν ἐστιν, ὃ Σώκρατες, ἐξελέγξαι, ubi *SCHLEIERMACHER.* in versione nescio quam ob rem praetulit interrogationem; et ante p. 471. D. c. 60, p. 470. C. c. 57. Alter Gorgiae locus est p. 467. B. c. 50, ubi Polus quaerit: Οὐκ ἄρτι ὁμολόγησι ποιεῖν ἃ δοκεῖ αὐτοῖς βέλτιστα εἶναι τούτου πρόσθεν; Ibi HEINDORFIO verba τούτου πρόσθεν adeo ignava videntur, ut aliud putet latere. *SCHLEIERMACHER.*, sensum iis inesse negans, vertere omisit; *BEKKER.* ut suspecta uncis inclusit. *ASTIUS*, ut retineri illa possint, nuperrime coniecit, pro voce ἄρτι legendum esse ἄρα. Difficultatem removendam aliquis putarit Socrati tribuendo verba criticis molesta τούτου πρόσθεν (sc. ὁμολόγησα.) At is haud dubie a vero aberraverit. Sana enim videntur omnia, modo comma posueris post v. εἶναι. Polus interrogat: *Nonne modo (ἄρτι) concessisti, facere eos quae sibi viderentur optima esse, τούτου πρόσθεν (die sem zuvor), in illis quae his antecederant?* Scilicet paullo ante, proprie igitur haud modo, concesserat illud Socrates p. 466. D. c. 49, ita ut homo acer se ipse quodam modo corrigens, sibi que instans, uno spiritu iteret interrogationem: nam Πῶλος ὅδε, ut Socratis verbis utar, νέος ἐστὶ καὶ ἔξυς. Quippe haud ignoratis, ad Platonem recte explicandum illo etiam opus esse, ut non solum ad indolem ac mores cuiusvis, qui in Dialogis loquens inducitur, ab interprete respiciatur, sed etiam ad animi, quo nunc quisque utatur, habitum; quid? quod nonnunquam vultus hominis gestusque, etiam ubi a scriptore non admonemur, haud est negligendus: praesertim in eiusmodi Dialogis, qui plane δραματικοὶ sunt; non διηγηματικοί, quo in genere mimica illa Plato ipse frequentius notare solet. Haec res observata logicas adeo et grammaticas, ni fallor, difficultates interdum vel removebit, vel minuet certe, ut in *Gorgia* p. 467. E. c. 52. in illis: ΣΩ. Ἄρ' οὖν ἐστὶ τι τῶν ἴστων, ἢ οὐχὶ ἤτοι ἀγαθόν γ' ἐστὶν, ἢ κακόν, ἢ μεταξύ τούτων οὔτε ἀγαθόν οὔτε κακόν; ΠΩ. Πολλὴ ἀνάγκη, ὃ Σώκρατες. Ibi HEINDORFIUS ad verba Πολλὴ ἀνάγκη, „Recte ad sensum,“ inquit, „vertit Ficinus: *Nihil omnino.* Supplendum autem οὐδέν

εἶναι, quae vulgaris foret et commoda ellipsis, si in praecedd. legeretur, "Ἄρ' οὐν οὐδέν ἐστι τῶν ἄντων etc.; nunc adeo dura ea et insolens videtur, ut de horum integritate addubitem. An forte Plato scripserat: Οὐδέν, πολλή ἀν;" Haec, quam Heindorfius suadet, verbi οὐδέν interpositio non necessaria videtur BUTTMANNO in *Auctario animadvers.* p. 511: ad sensum potius referri quam ad ipsa Socratis verba Poli responsionem: *Necesse est omnino, sc. omne, quod sit, unum ex his tribus esse.* Buttmannum secutus videtur SCHLEIERMACHER., qui in versione addit, quorum vestigium in Graecis nullum: „Eins von diesen.“ Mihi quidem interponendum haud videbatur verbum οὐδέν; at Polum *renuentem* mihi repraesentabam, ac tum demum dicentem suum πολλή ἀνάγκη. Sed ad Horatii Sermones redeamus.

II. 3, v. 123. *Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres, Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit? Pro his Ne tibi desit? coniecerat I. GUIL. SIVERN., V. C. (in prolusione edita Elbingae 1807. Conf.: N. Leipz. Lit. Zeitung. 1807. T. IV. p. 2184): Ne tibi desis! Quae apte omnino iungerentur deinceps sequentibus: Quantulum enim summae curtabit quisque dierum, Unguere si caulis oleo meliore caputque Coeperis impexa foedum porrigine? Nulla tamen correctione opus esse apparet, quum Particula *euim*, ut Graeco γάρ, persaepe significari constet enunciationem mente facile supplendam, ut h. l.: Noli metuere, vel Temere angeris, aliudve eiusmodi.*

Eadem Satira v. 283 idem vir doctissimus in illis *Unum, Quiddam magnum addens, unum me surpate morti! Dis etenim facile est, orabat,* ubi BENTLEIUS cum aliis non bene (quod recte exposuit HEINDORFIUS) edidit: *Quid tam magnum? addens,* legendum esse coniecit: *Cui tam magnum! addens,* respiciens locum THEOGNIDIS 14: σοὶ μὲν τοῦτο, θεῶν, συμπερὸν, ἐμοὶ δὲ μέγα. Acute ille quidem. At mutatione nulla opus esse, ante Heindorfium viderunt BAXTERUS et GESNERUS, verba *quiddam magnum addens* probabiliter capientes de voto et obtestatione, quae precibus addiderit senex.

Eodem Sermone II. 3, v. 254 in illis: *faciasne quod olim Mutatus Polemon? ponas insignia morbi etc.* cum LAMBINO et CRUQUIO HEINDORFIUS edidit *Polemo*. Notissimum quidem est, quod idem monet, Nominativum nominum Graecorum in ων exeuntem Latine terminari ο, quando Genitivus ωνος vel ονος; ον, quando Genitivus ωντος vel οντος. Notum etiam illud, in Satiris atque Epistolis ab Horatio plerumque praeferrī Latinas formas, in Carminibus Graecas. Heindorfius ipse tamen quum concedat, etiam in Nominibus prioris generis metri numerive causa Graecam terminationem poetis usurpari: cur quaeso sprevit, quam BENTLEIUS cum prioribus editori-

bus plurimis tacens exhibuit, formam *Polemon*? Meis quidem auribus displicent ista: *Polemo po*—. Poeta igitur, qui Graecis formis usus scripsit v. 11 *Platonā*, et Serm. II. 4, 3: *Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona*, quidni h. l. scripserit, quod paullo concinnius sonat: *Mutatus Polemon? ponas* etc.? Ceterum CONR. LEOP. SCHNEIDER, in *L. L. Grammatica* (Ausführl. Grammatik der Lat. Spr. Formenlehre. Part. II. Vol. I. p. 276) observavit, poetas inde ab Augusti aetate terminationem on plerumque praeferre.

II. 3, v. 314 seq.

*Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Belua cognatos eliserit. Illa rogare,
,Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset.
Maior dimidio. Num tantum? Cum magis atque
Se magis inflaret; Non, si te ruperis, inquit,
Par eris.*

Fabella, lepide adhibita, versibus 317, 318 quantam singulis prope verbis emendandi et disputandi materiam dederit Criticis, narrare longum est. Hoc igitur loco nonnisi ea, quae a recentioribus interpretibus aut omissa sunt, aut minus recte tradita, notasse iuvabit. *BENTLEIUM* verissime tueri censeo v. 317 lectionem *CRUQUII num tantum, sufflans se, magna*. Nam frustra nuper defendit *FEA*, quam male revocavit, lectionem diu reiectam: *num tandem, se inflans, sic magna*. Qui vir eruditissimus quum in aliis, tum in eo etiam parum accuratus reperitur, quod coniecturam, audaciorem utique, at ingeniosam sane, quam *HEINDORFIUS* ne memoravit quidem, his duntaxat verbis repudiat: „Audacius adhuc ex ingenio San. dedit, *magna fuit? Tum.*“ Unde *SANADONIS* esse coniecturam lectores sibi persuadebunt, quam is in contextum quem vocant recepit quidem, at cuius is auctor non est, docto cuidam Critico, quem haud nominavit, ipse eam tribuens (Vid. Sanadonis versionem Francogall. ed. nov. Paris. 1756. Tom. V. p. 404). Esse vero auctorem constat *FRANCISCUM HARIUM*, cuius conf. Epistolam criticam p. 23, 24, quae subiecta est alteri editioni Fabularum *PHAEDRI*, quam *BURMANNUS* Lugduni Bat. a. 1727 curavit. Harius quidem emendationem suam opposuit coniecturis quas protulissent *BENTLEIUS* et *ALEX. CUNINGAMIUS*, hic non satis probabiliter scribens et sine cunctatione edens: *Maior . dein: Num tantum? Maior. cum magis atque* —; ille infeliciter sane proponens, quod edere ipse ausus non est: *Maior pernicio*. „Nihil mirum“, Harius inquit, „tanta eruditionis tantique acuminis viros in hoc loco restituendo frustra insudasse, cum toti animum eo intenderent, ubi nihil erat vitii. id

enim in versu praecedente latet, et levi mutatione omne tollitur, si pro *fuisset* legamus *fuit? tum*. Et huc ipsa constructionis ratio eos ducere debebat, cum *num fuisset*, nisi plurimum fallor, dici nequeat, sed *num fuit?* iam autem vide, quam recte omnia incedant.

Illa rogare,

Quantane, num tantum, sufflans se, magna fuit? tum

(cum ex pulli silentio mentem eius saltem intelligeret) se iterum vehementius sufflans, et iam *maior dimidio* facta, iterum interrogat, *num tantum?* pullus etiam num tacet; quo irritatior reddita, magis adhuc magisque intumescit; quod cum toties repetitis vicibus frustra fecisset, tum demum pullus,

Non si te ruperis, inquit,

Par eris."

In his quod de constructionis ratione Harius dicit, eam ducere debuisse ad coniecturam *fuit*, quum *num fuisset* dici nequeat, id aut non dixit vere, aut, quod voluit, non satis clare verbis expressit. Nam Particulam *num* non solum in interrogatione recta, sed etiam in obliqua usurpari notissimum est, ut ipsi Nostro in Satiris quinquies. (Serm. I. 3, 35. *num qua tibi vitiorum in severit olim Natura.* 4, 77. 78. *num sine sensu, Tempore num faciant alieno.* 6, 36. *num ignota matre inhonestus* (sc. *sit*). 10, 57. *num illius, num rerum dura negarit.* II. 8, 81. *num sit quoque fracta lagena.*) Hac igitur de re dubitasse haud poterat Vir doctissimus. Quidnam voluit ergo? Fabellam ab Horatio obliqua structura narrari non potuisse? At etiamsi *fuisset* scripsit Poeta, vel tum fabella oblique narrata non est: nam relinquuntur rectae illa narrationis: *denarrat* — *rogare* (rogabat) — *inquit*. Mutandae igitur lectionis vulgatae *fuisset* causam quae rei momentum faciat, *HARIUS* non attulit, etsi negari non potest, eum coniectura sua, quae rectam interrogationem pro obliqua proponens vim et vitam quasi loci auget, difficultatem, ad quam offendisset *BENTLEIUS*, hoc multo feliciter vitasse. Veruntamen veri simile non est, verba *fuit? Tum* abiisse in vulgatam *fuisset*, ut magis arrideat coniecturae Harianae emendatio, quam publice haud proposuit, multis abhinc annis nobiscum communicavit Criticus eximius: *fuit? At* —; aut ea, quae quum primum illa innotuit, mihi in mentem venit, una litterula propius accedens ad vulgatam: *fuit? Et* —: cuiusmodi habes clausulam Hexametri Horatiani Serm. I. 3, 12: *Omnia magna loquens; modo, Sit mihi mensa tripes, et.* Utcunque est, in Textu h. l. mutare editor nil ausim. Etenim id quod *BENTLEIUM* movit ad in-scitam coniecturam *pernimio* expromendam, quod omni veri specie aut decori ratione destitutum esset, respondere hic ranulam: *Maiores dimidio,*

id difficultatis evanuit omnino idonea *HEINDORFII* aliorumque, ni fallor, qui nasum habebant, observatione, responso illo a ranula matrem se infantem irrideri ac maligne simul incitari ad novum ridicule crescendi periculum. Quod si admittere nolis, vel tum vulgatae haec restabit explicatio, qua verba *Maior dimidio* ita capiantur, ut non ranulae respondenti tribuantur, sed Damasippo fabellam narranti, qui post verba *Num tanto?* subintelligi voluerit *inquit*. — Quod *HEINDORFIUS* in annotatione dicit, verbis illis *Maior dimidio* apte iungi illa: *Num tanto?* quibus *BENTLEIUS*, quia non vidisset, qua cum re sit facta comparatio, e codd. quibusdam praetulisset *Num tantum?* id certe in Textu secutus ipse non est: nam ibi reliquit Bentleianum: *Num tantum* (sc. magna fuit)? Quod praefero, quandoquidem durius sane postulasset Poeta, ut aliud mente suppleremus in verbis *Maior dimidio* (scil. fuit quam tu nunc es), aliud in verbis *Num tanto* (sc. maior fuit, quam ego ante fui).

II. 5, 22. *tu protinus, unde Divitias aerisque ruam, dic, augur, acervos.* In his *RUHNKENIUS* in *Praefat. ad Schelleri Lexicon Latino-Belgicum* p. XIV *ruo* dicit accipi pro *eruo, compono*. Quem locum, inquit, viri docti profecto omisissent, si *I. SCHRADERI* verissimam correctionem cognitam habuissent, Emend. cap. 4, p. 72: *tu protinus, unde Divitias aerisque struam, dic, augur, acervos.* His liceat respondere, primum, *ruam* h. l. esse videri *corruam*, ut *LUCIL.* ap. *NON.* IV. 389: *Ruis haec et colligis omnia furtim.* *PLAUT.* Rud. II. 6, 58. *Ibi me corruere posse aiebas divitias.* Duo igitur h. l. miscuit *Scholiastes CRUQUII* p. 474, qui explicat *eruum et congregem*, et *CRUQUIUS* ipse p. 477 sic exponens: *eruum et conquiram.* *SCHRADERI* quidem rationes etsi satis perspectas non habeam, quum Emendationes eius ad manus non sint, tamen vel sic contra *RUHNKENIUM*, egregium illum Criticum eumque linguae Latinae in paucis peritum, loci integritatem defendere ausim. Non ignoro quidem, Horatium dicere Serm. I. 1, 35 de formica: *addit acervo Quem struit*, et I. 1, 44 *quid habet pulchri constructus acervus?* et Carm. II. 3, 19. 20 *exstructis in altum Divitiis.* At horum locorum rationem esse puto diversam, atque inde certe non sequi, nostro loco Poetam ruendi verbo uti haud potuisse, aut *stru^{am}* scripsisse.

II. 6, 47—49.

*Per totum hoc tempus subiector in diem et horam
Invidiae noster. Ludos spectaverit una,
Luserit in campo: Fortunae filius, omnes.*

Sic cum *BENTLEIO*, qui pro lect. vulg. *spectaverat* — *luserat* e codd.

restituit *spectaverit* — *luserit*, locum edidit HEINDORFIUS. Qui post *invidiae* vel punctum posuerunt vel colon, neglexerunt omnino, desiderari subiectum *ego*, aut, si mavis, *factus sum*. BENTLEIUS quidem punctum posuit post vocem *noster*, quam cum verbo tertiae personae dicit eleganter perinde esse atque *ego*, laudans Plautinum Rud. IV, 7. v. 19. *Egone ut, quod ad me allatum esse alienum sciam, Celem? minime istuc faciet noster Daemones*. Quod repetiit Heindorfius. Ego quidem eiusmodi locis *noster* cum verbi tertia persona iunctum negaverim idem plane esse quod *ego*: facetum potius et mimicum quid inesse arbitror, si quis de se ita loquatur quasi de tertia persona, quam familiares scilicet sic appellent *noster*. Ita Horatiano etiam loco *noster* non est simpliciter pro *ego*. Malim autem totum locum sic legi ac distingui:

*Per totum hoc tempus subiector in diem et horam
Invidiae, noster ludos spectaverit una,
Luserit in Campo: Fortunae filius! omnes.*

Sensus est: si is, qui invidiae quidem per totum hoc tempus subiector in diem et horam factus est, quem eundem, eo nimirum familiari aut collega se iactantes, nostrum appellant, forte cum Maecenate ludos spectaverit vel cum eo in Campo Martio luserit; iam omnes: Fortunae filius! clamant.

II. 7. v. 113. *teque ipsum vitas fugitivus, et erro* plurimi codd. et edd. Reiciendam esse lectionem *fugitivus ut erro* in codd. et edd. non paucis inventam, plures interpretes viderunt, quum *fugitivus* diversus sit ab *errone*; quod post LAMBINUM accuratius exposuit ex ICTIS HEINDORFIUS ad h. l. Hanc ipsam ob diversitatem FEA quidem praetulit scripturam in quibusdam codd. a se repertam *fugitivus, et erras*; laudans LUCRETIIUM III. 1060 seq., quem imitatus sit *noster*. Permaneo tamen in lectione vulgata: *fugitivus et erro*, ita, ut cum aliis commate post vocem *fugitivus* distinguam, alterum vero *et erro* sensu quidem artius quam prius illud *fugitivus* cohaerere putem cum iis quae sequuntur: *Iam vino quaerens, iam somno fallere curam.*, tametsi post vocem *erro* semicolo utor, quum verba *iam vino quaerens* etc., ut sequentia docent, posita sint pro his: *qui iam vino quaeris* etc., non pro illis: *qui iam quaerit* etc. Posse autem de eodem dici *fugitivum* et *erronem*, contra FEAM argumentari licebit ex ipso, quem Heindorfius praebuit, loco ULPIANI Dig. l. XXI. tit. I. fr. 17, ubi etiam illud legitur: *definit Labeo — fugitivum magnum erroneum esse*; licet addatur: *sed proprie erroneum sic definimus, qui non quidem fugit, sed frequenter sine causa vagatur, et, temporibus in res nugatorias consumptis, serius ad dominum redit*. Quodsi quaeritis, cur Horatius addiderit *et erro*: causa in promptu est. Nempe se ipsum vitat quidem

homo, ut *fugitivus* dominum, se ipsum igitur fugit; sed quum effugere se ipsum nunquam possit etiamsi velit, *erro* idem est, *Iam vino quaerens, iam somno fallere curam . . Frustra*. Nam subinde tamen sibi ipsi redditur, dum ebrietatem somnumque abigit *comes atra, cura*.

Vestrum quidem, Commilitones, unumquemque multum temporis secum esse posse, et *otia recte ponere* confidimus, rursusque, quum dulces ferias exceperint utiles professorum scholae, vos his speramus recreato animo studioque incitato adfuturos. P. P. in Univers. litt. Dorpatensi, Idib. Iul. cloIocccxxi.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

CHRISTIANUS FRIDERICUS SEGELBACH, D., a Consil. Collegior., Historiae ecclesiast. atque Litterat. theologicae P. P. O., Ordinis Theol. h. t. Decanus, 1) Historiae ecclesiasticae partem posteriorem, duce Schroeckhii libello, a Cel. Marheineckio de nouo edito, quinquies per hebd., excepto Saturni die, hor. III—IV explanabit. 2) Historiam Litteraturae theologicae, suum filium secuturus, iisdem diebus hor. XII—I narrabit. 3) Seminario theologico exercitationes historicas, ad res Ecclesiae spectantes, et catecheticas, in explicatione Catechismorum Ecclesiae evangel. symbolicorum versantes, instituet et diriget die Saturni hor. XII—I.

LAURENTIUS EWERS, D., a Consil. Collegior., Theologiae Dogmaticae et Moralis P. P. O., Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, 1) Criticam in Vet. Testamentum Introductionem dabit duce Brockmanno, ter p. hebd., dieb. Mart., Iov. et Ven. hor. IX—X. 2) Dogmaticae priorem partem duce Moro tradet sexies hor. X—XI. 3) Morum doctrinam Christianam exponet sexies, duce Tittmanno in tertia libri editione, gratis, hor. II—III.

HERMANNUS LEOPOLDUS BOEHLENDORFF, D., a Consil. Collegior., Theologiae practicae P. P. O., 1) Encyclopaediam et Methodologiam theologiam tractabit quater per hebd. hora IV—V pomeridiana. 2) Praecepta homiletica proponet atque exemplis illustrabit diebus Lun., Mart., Merc. et Iov. hora X—XI. 3) In Seminario theologico exercitationes homiletico-practicas moderabitur, item colloquia dogmatica examinatoria et disputatoria lingua Latina instituet horis indicandis.

SAM. AMADEUS RUDOLPHUS HENZI, D., a Consil. Aul., Exegeticae et LL. OO. P. P. O., explicabit 1) Epistolam ad Romanos et primam ad Corinthios quinquies p. hebd., diebus Lun., Mart., Merc., Iov. et Ven. hor. VIII—IX. 2) Oracula ad Messiam spectantia, quorum in scriptis N. T. mentio fit, exponet quater p. hebd., dieb. Lun., Mart., Iov. et Ven. hor. II—III. 3) Arabicam linguam docebit, bis p. hebd., dieb. Merc. et Sat. hor. II—III. 4) In Seminario theologico exercitationes exegeticas et catecheticas moderabitur, semel p. hebd.

II. LECTIONES IURISCONSULTORUM.

CHRISTOPHORUS CHRISTIANUS DABELOW, D., a Consil. Aul., Iuris civilis etc. et Iurisprudentiae practicae P. P. O., Ord. Iurisconsultorum h. t. Decanus, 1) Pandectas cursu II. exponet quinquies p. hebd. hor. IV—V, et Ius hereditarium singulatim bis dieb. Iov. et Ven. hor. V—VI. 2) Ius cambiiale tradet, iurium provin-

- cialium diversitatem haud neglecturus, die Lun. hor. V—VI. 3) Concursum creditorum eodem modo, die Mart. hor. V—VI.
- 4) Iurisprudentiam extrajudicialem die Merc. hor. V—VI.
- FRIDERICUS LAMPE, a Consil. Aul., Iuris publici et gentium ac Politices P. P. O., 1) Ius ecclesiasticum docebit duce Boehmero, hor. IX—X quinquies. 2) Politicam exemplis ex historia et antiqua et recentiore petitis illustrabit, ter hor. X—XI. 3) Encyclopaediam universi Iuris positivi tradet quinquies hor. III—IV. 4) Ius Esthonicum, quater. 5) Disputatorium iuridicum dirigere perget gratis die Saturn. hor. II—III.
- IOANNES GEORGIUS NEUMANN, a Consil. Collegior., Iuris Russici et theoretici et practici P. P. O., Tribunalis academici quo appellatione certatur causaeque recognoscuntur, h. t. Praeses, Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, lectiones suas in valvis publicis indicabit.
- Cathedra Professoris ordinarii Iuris criminalis etc. et cathedra Professoris ordinarii Iuris provincialis Curoniae, Livoniae et Esthoniae sunt vacuae.

III. LECTIONES MEDICORUM.

- CHRISTIANUS FRIDERICUS DEUTSCH, D., a Consil. Collegior., Artis obstetriciae et doctrinae de morbis mulierum et infantium P. P. O., Ordinis Medicorum h. t. Decanus, 1) Artis obstetriciae partem practicam docebit quinquies p. hebdomadae hor. VIII—IX; 2) offert Institutiones practicas in phantasmate ad faciendas explorationes et operationes bis dieb. Mart. et Iov., horis indicendis; 3) continuabit Clinicum obstetricium, hor. IX—X, quodcumque dabitur opportunitas; 4) morborum mulierum et Pathologiam et Therapiam tradet.
- MARTINUS ERNESTUS STYX, D., a Consil. Collegior., Diaeteticas, Materiae medicae, Litteraturae medicae et Historiae Medicinae P. P. O., 1) Materiae medicae partem priorem exponet iunctam cum arte formulas medicas conscribendi, sexies p. hebdomadae hor. XII—I. 2) Diaeticam dieb. Merc. et Saturn. hor. XI—XII.
- LUDOVICUS EMILIUS CICHORIUS, D., a Consil. Aul., Anatomiae et Medicinae forensis P. P. O., 1) Osteologiam et Syndesmiologiam docebit sexies hor. VIII—IX matut. 2) Myologiam, Angiologiam, Neurologiam sexies hor. IX—X. 3) Anatomiam in usum alumnorum Caesareorum, sexies. 4) Medicinam forensis sexies, hor. V—VI vesp. Vid. etiam VI. Theatr. anatom.
- IOANNES CHRISTIANUS MOIER, D., a Consil. Aul., Chirurgiae P. P. O., 1) Clinicum chirurgicum moderabitur quotidie hor. X—XI. 2) Chirurgiae theoreticae partem posteriorem tradet quinquies hor. XI—XII. 3) Operationes chirurgicas demonstrabit dieb. Lun., Mart. et Iov. hor. XII—I.
- IOANNES FRIDERICUS ERDMANN, D., a Consil. Collegior., Therapiae et Clinices P. P. O., 1) quotidie hora audita IX ante meridiem exercitationes clinicas in Nosocomio academico instituet; 2) diebus Merc. et Sat. hora XII Clinico ambulatorio praerit

gratis; 3) diebus Lun., Mart., Iov. et Ven. hora IV post merid. Therapiam generalem tradet; 4) diebus Merc. et Sat. exercitationes disputatorias lingua Latina continuabit.

FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Aul., Physiologiae, Pathologiae et Semiotices P. P. O., 1) Physiologiam corporis humani, ad Prochascae librum edit. 1820, sexies p. hebd. hora IX—X exponet. 2) Institutiones physiologicas practicas dabit horis indicandis, ter p. hebd. 3) Anatomiam pathologicam tradet ter p. hebd. hor. III—IV, collectionis pathologicae, quae servatur in Theatro anatom., rationem habiturus.

*

*

*

IOANNES FRIDERICUS ESCHSCHOLTZ, D., P. P. E. O., Prosector Theatri anatomici, 1) Zooiatriken in usum rusticorum docebit ter per hebd. hor. IV—V. 2) Doctrinam de equi structura externa tradet semel per hebd. 3) Cadavera secandi artem, quoties postulabitur, monstrabit horis pomeridianis.

HERRMANNUS KOEHLER, D., privatim docens, 1) Medicinae Historiam enarrabit quinques per hebd. hor. V—VI. 2) Hippocratis Aphorismos gratis explicare perget, die Saturn. hor. V—VI vesp.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

CAROLUS MORGENSTERN, D., a Consil. Collegior., Eloquentiae, LL. Gr. et Lat., Aesthetices et Historiae Art. P. P. O., Ordinis S. Vladimiri Eques, Ord. Philos. I. et III. Classe h. t. Decanus, 1) Platonia Gorgiam statarie interpretabitur ter p. hebd., dieb. Mart., Iov. et Ven. hor. IX—X; 2) in Horatii et Artem Poëticam et selecta Carmina commentabitur ter, iisdem diebus hor. X—XI; 3) Doctrinam Numorum veterum exponet, Museo cui praest academicum usus, bis dieb. Mart. et Iov. hor. IV—V; 4) in Seminario Paedagogico Philologico Sodales exercebit a) interpretando Niemeyeri libro: „Originalstellen Griech. und Röm. Classiker über die Theorie der Erziehung und des Unterrichts“, edito Hal. et Berol. 1813; b) Latine scribendo et disputando, bis p. hebd., dieb. Merc. et Ven. hor. IV—V, ad quas exercitationes aliis etiam Auditoribus aditus patet gratis. Vid. VI. Biblioth. et Mus. Art.

FRIDERICUS EBERHARDUS RAMBACH, D., a Consil. Collegior., Disciplinarum quae pertinent ad rem quam dicunt cameralem, ad reditus et ad rem mercatoriam P. P. O., Ord. Phil. II. et IV. Class. h. t. Decanus, 1) Encyclopaediae disciplinarum, quas dicunt camerales, priorem partem tradet quinque per hebd. hor. VIII—IX. 2) Oeconomiam quam vocant nationalem duce Iacobo quinque per hebd. hor. IX—X tradet; 3) de vectigalibus, tributis etc. ter per hebd. disseret hor. XII—I. 4) Instituti medici sodalibus Terentii Heautontimorumenon binis horis interpretabitur, d. Sat. hor. VIII—X.

GEORGIUS FRIDERICUS PARROT, D., a Consil. Status, Physices theoreticae atque applicatae P. P. O., Ordinis S. Vladimiri Eques, 1) Physices theoreticae partem priorem tradet sexies per hebd.

hor XI—XII. 2) Colloquia de rebus physicis habebit semel per hebd.

GOTTLOB BENIAMIN IÄSCHE, D., a Consil. Collegior., Philosophiae et theoreticae et practicae P. P. O., 1) Psychologiam et Logicam enucleabit sexies hor. X—XI, illam Iacobo, hanc Kantio duce. 2) Philosophiam morum docebit ad libellum suum, quater, hor. XI—XII. 3) Historiam Philosophiae antiquam enarrabit quater hor. V—VI vesp. duce Tennemann o. 4) Encyclopaediam disciplinarum philosophicarum proponet bis, suo filo usus. 5) In Seminario Paedagogico Philologico exercitationes didacticas moderabitur semel p. hebd.

IOANNES GUILIELMUS KRAUSE, D., a Consil. Collegior., Oeconomiae, Technologiae et Architecturae civilis P. P. O., Ordinis S. Vladimiri Eques, 1) Rei rusticae alteram partem tradet quater, hora mat. VIII—IX. 2) Rei rusticae Technologiam quater hor. X—XI. 3) Architecturam ita docebit, ut rei rusticae potissimum habeatur ratio, quater hor. III—IV. 4) Ichnographicas exercitationes formarum architectonicarum rem rusticam maxime spectantium offert, bis p. hebd. binis horis continuis hor. X—XII.

GUSTAVUS EWERS, D., Universitatis h. t. Rector magnif., disciplinarum et statisticarum et geographicarum P. P. O., Ordinis S. Annae secundae Classis Eques, 1) Historiam inde a renata cultura Europaea usque ad Americam detectam persequetur gratis horis quas indicabit. 2) Recentiore Europae Historiam politicam enarrabit quinques p. hebd. hor. XII—I.

CAROLUS FRIDERICUS LEDEBOUR, D., a Consil. Aul., quum Historiae naturalis universae tum Botanices P. P. O., 1) Historiam rei herbariae ter per hebd. dieb. Lun., Mart. et Ven. hor. XII—I narrabit. 2) Zoologiam docebit ter per hebd. dieb. Merc., Iov. et Sat. hor. XII—I. Vid. VI. Hort. botan.

FRID. GUILIELMUS CAROLUS DE ADERKAS, a Consil. Aul., disciplinarum militarium P. P. O., 1) Disciplinam tormentariam tradet ternis horis die Lun. hor. VIII—X et Mart. hor. VIII—IX. 2) Geographiam militarem ad finem perducet. 3) Pontium militarium fabricandorum et cuniculorum agendorum disciplinas ita tradet, utroque semestri tempore, die Mart. hor. IX—X et die Ven. hor. VIII—X, ut utroque semestri tempore haec disciplina illam excipiat, ternis p. hebd. horis. 4) Tacticam elementarem copiarum et pedestrium et equestrium ad finem perducet d. Mart. hor. II—III. 5) Rei militaris delineandae ducem se praebebit d. Iov. hor. VIII—X. 6) Progymnasmata campestria operae militaris praestandae instituet quaternis p. hebd. horis die Merc. hor. II—VI.

MAURITIUS DE ENGELHARDT, D., a Consil. Aul., quum Historiae naturalis universae tum Mineralogiae P. P. O., 1) Mineralogiam tradet quinques hor. X—XI. 2) Geognosiam bis, dieb. Merc. et Sat. hor. XII—I. 3) Modorum praecipuorum, quibus fossilia usui inserviant, conspectum dabit bis, dieb. Mart. et Iov. hor. IV—V.

GUILIELMUS STRUVE, D., a Consil. Aul., Astronomiae P. P. O., 1)

Astronomiam docebit duce Bohnenbergero, quater hor. X—XI.

2) De longitudine geographica definienda disseret bis hor. X—XI. 3) Trigonometriam et planam et sphaericam

exponet, Gerlingio duce bis dieb. Mart. et Ven. hor. IV—V.

MARTINUS BARTELS, D., a Consil. Collegior., Matheseos et purae et

applicatae P. P. O., 1) Mathesin elementarem docebit, Arithmeti-

cam quidem duce Meyero Hirschio, Geometriam Blaschio duce, sexies hor. VIII—IX. 2) Mathesin applicatam duce Lo-

renz ter, hor. VII—VIII. matut. 3) Calculum differentialem duce

Lacroix ter, hor. VII—VIII mat. 4) Algebram duce Meyero

Hirschio, ter, dieb. Lun., Mart. et Merc. hor. IX—X. 5) Arith-

meticam politicam iuridicam, duce Florencourt, ter horis indicandis.

BASILIUS PEREWOSTSCHIKOW, D., a Consil. Aul., Linguae et

Litteraturae Russicae P. P. O., Ordinis S. Vladimiri Eques, 1) Hi-

storiam Litteraturae Russicae narrabit praecipuorum scripto-

rum opera recensiturus, quater hor. IV—V. 2) Praeceptis lin-

guae Russicae eiusque ingenio auditores imbuet quater hor.

III—IV. 3) Colloquia lingua Russica instituet, semel p. hebd.

4) In Seminario Paedagogico Philologico exercitationes di-

didacticas moderabitur d. Merc. hor. III—IV.

IOANNES VALENTINUS FRANCKE, D., a Consil. Aul., Historiae

litterariae, LL. Gr. et Lat. et Paedagogices P. P. O., 1) Euripidis

Hecubam interpretabitur praemissa isagoge de hoc Poeta tragico

legendo, ter p. hebd. 2) Propertii et Cynthiam et alias Ele-

gias selectas explanabit, praemissis Prolegomenis de Elegia quum

Veterum, tum Propertii, ter. 3) Historiae litterariae univer-

salis partem priorem enarrabit quater. 4) In Seminario

Paedagogico Philologico 1) didacticas exercitationes mode-

rabitur, Grammaticam et Graecam et Latinam et doctrinae metri-

cae elementa potissimum spectaturus, 2) Latine et loquendo et

scribendo exercebit sodales, bis per hebd.

Cathedra Professoris ord. Historiae, et cathedra Professoris ord. Chemiae et

Pharmaceutices sunt vacuae. Lectiones chemicae et pharma-

ceuticae a Docente suffecto habendae in valvis publicis indicabuntur.

V. LINGVAE HODIERNAE ET ARTES.

I. Linguas recentiores docebunt Lectores publice constituti, et quidem ex

legibus academicis binis quisque p. hebd. horis gratis: 1) Rossicam

THOERNER, Classis X., dieb. Lun. et Iov., hor. IV—V. 2) Germa-

nicam WEYRAUCH, Collegior. Secretarius. 3) Letticam ROSEN-

BERGER, Gymnas. Dorpat. Director. 4) Esthonicam MORITZ, Asses-

sor Consistor. et Pastor, die Lun. hor. V—VI vesp. et d. Merc. hor.

IV—V. 5) Francogallicam VALLET DE BARRES, D., Consiliarii

titulo ornatus, qui a) Colloquia bis habebit gratis dieb. Lun. et

Mart. hor. II.—III. b) De Synonymis linguae Francogallicae

disseret. 6) Anglicam THOERNER, dieb. Merc. et Sat. hor. III—IV.

7) Italicam RAUPACH, Classis X, qui elementa Grammatices Italicae

gratis bis docebit, et quae privatim sit traditurus, in valvis publicis indicabit.

- II. Artium itidem magistri publici binis quisque horis gratis operam suam Studiosis dicabunt. Nam in Hippodromo academico modos equitandi ostendet DAUE, Artis equestris magister, dieb. Mart. et Merc. hor. VII—VIII. 2) Arma tractandi regulas dabit DUFOUR. 3) Saltandi artem monstrabit PELABON. 4) Artem ichnographicam et chalcographicam docebit CAROLUS SENFF, Professor extraord., publice die Sat. hor. II—IV, privatim dieb. Lun. et Iov. hor. II—IV. 5) Artem musicam THOMSON, bis, horis indicendis. 6) Operis mechanici magistrum se offert POLITOUR.

VI. INSTITUTA PUBLICA.

In Nosocomio academico, ut supra iam indicatum est, I. F. ERDMANN exercitationes clinicas dirigit; in Instituto obstetricio C. F. DEUTSCH; in Instituto chirurgico I. C. MOIER. Theatrum anatomicum desiderantibus monstrabit L. E. CICHORIUS, collectionem pathologicam FR. PARROT.

In Seminario Paedagogico Philologico scholas methodologicas et practicas habebunt Directores MORGENSTERN, FRANCKE, IÄSCHE et PEREWOSTSCHIKOV, quorum primus a) interpretando Niemeyeri libro quo continentur Graecorum et Romanorum scriptorum loca de educationis et institutionis ratione, b) Latine de rebus philologicis scribendo et disputando Sodales Seminarii exercebit; bis p. hebd.; secundus a) exercitationes didacticas moderabitur supra indicatas, b) Latine disserendo et scribendo Sodales exercebit bis p. hebd.; tertius exercitationes didacticas de rebus philosophicis moderabitur semel p. hebd.; quartus linguae Russicae usu subiget Sodales, semel p. hebd.

In Seminario Theologico H. L. BOEHLENDORFF et C. F. SEGELBACH h. t. Directores, aequae ac S. A. R. HENZI, exercitationes practicas, easque dogmaticas, historicas, exegeticas, homileticas et catecheticas, in Catalogo supra memoratas, tribus p. hebd. horis instituent et moderabuntur.

Bibliothecam academicam aperiet dieb. Merc. et Sat. hor. II—IV. CAR. MORGENSTERN, Bibliothecae acad. Praefectus. Professoribus patet quotidie horis IX—XII et II—IV. Si quis peregrinator Bibliothecam visere cupiet, Praefectum adibit.

Museum Artis qui cupiunt videre, Directori C. MORGENSTERN indicabunt; qui Museum zoologicum, Directori C. F. LEDEBOUR; qui mineralogicum, Directori M. DE ENGELHARDT.

Apparatum Physices desiderantibus monstrabit Director G. F. PARROT, apparatus Chemiae Director suffectus.

Collectionem formarum technologicarum et architectonicarum monstrabit I. G. KRAUSE, militarium F. G. C. DE ADERKAS.

Speculam astronomicam monstrabit G. STRUVE, Collectionem in usum Matheseos applicatae comparatam M. BARTELS, Collectionem scholae ichnographicae C. SENFF, Hortum botanicum Director C. F. LEDEBOUR.